Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 995
Quelle:
Copyright:

primum de Linguae moderamine, dein de fuga Superbiae, Invidiae, Irae &c. Verum, ut monui, multa putredine consumta, alia extrita sunt, et Librarius spatio arctatus sub finem literas minuit, lineas densavit.

CCCCXXVII.

R. 1986 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 195. f. per duas columnas luculente exaratus, coloribus distinctus et olim *Domus orti beate marie prope pragam Ordinis Carthusiensium* continet D. *Bernhardi Abb. Claraevall. Sermones in Cantica Canticorum*. In edit. *Maur. Paris.* T. IV. habentur horum *Sermonum* LXXXVI. in praesenti Codice numerantur LXXXIII. Ita enim Rubrica calcis: *Notandum quod in hoc libro continentur LXXXIII. sermones quos beatus bernhardus compilauit super cantica canticorum. et in eisdem sermonibus tantummodo duo capitula cum dimidio* (ne id quidem, sed stitit in C. 3. v. 1.) *exponuntur. Aut forte morte preuentus plura non edidit. aut si de hoc plura scripsit. hec in hoc volumine non habentur*. Verum adhibito examine deprehenduntur in Codice nonnisi *Sermones* LXXXII. Ultimus enim non est, nisi repetitus *Quinquagesimus tertius*, in quo post verba sub initium: *observante etiam hic ordinem* — multa desunt, quae in ultimo subplentur. In Textu paucae ab Editis occurrunt differentiae, nec, quae illum perficiant. In principio *Serm.* XX. *Ut a Magistri verbis* &c. Codex recte interponit *Gentium*.

CCCCXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 133. f. per duas columnas nitidissime exaratus, picturatis initiorum literis, prioribus tamen 14. Textus foliis ab alia minus eleganti manu, ut videtur, subpletus continet D. *Bernardi* Abb. *Claraevall. Sermones in Cantica Canticorum* numero LXXXIII. Igitur postremi IV. editionis *Maur.* T. IV. *col.* 1557. absunt. Textum praecedit *Registrum sive Tabula Cantici Canticorum* cum *Prologo*, quo fuse ejus usus docetur. Lectio proba est. R. 3297

CCCCXXIX.

Codex partim membraneus, partim chartaceus Sec. XV. Folior. 225. f. per duas columnas non eadem manu, nitide tamen exaratus, minio distinctus, et prius *fratrum Carthusiensium domus Porte beate Virginis Marie*, videlicet in *Axpach*, continet I. *Sermones LXXXIII. D. Bernardi Claraev. Abb. in Cantica Cantic.* prorsus ita comparatos, inscriptos et Elencho instructos, ut e Codice *Carthusiensium prope Pragam* paullo ante retuli, unde illius Απογραφον puto. Scriptor se versus pangere ratus haec ad Elenchum rubro subjecit: R. 2010

Dies